FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

ENCHIRIDION || CHRISTIANAE INSTITV-||tionis in Concilio prouinciali Colo-||niensi editum, opus omnibus ve-||ræ pietatis cultoribus lon-||ge ...

Gropper, Johann

Parisiis, 1550

DE POENITENTIA EXTERIORI.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150244

Visual Library

Ibidem. *Mat.23.* modo Iudęi proselytos, quibus Dominus ait: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circumitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos estis. sed potius sana doctrina Dei magistri, in vtroque tenenda est, vt sancto baptismo ac fidei consona sit vita Christianorum, & ne cuiquam homini, si vtrũlibet defuerit, promittatur vita æterna. Qui enim *Ioan.3.* dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit *Matt.5.* in regnum cœlorũ: ipse etiam dixit, Nisi abũdauerit iustitia vestra plus quàm scribarum & pharisęorum (nimirum quorũ iustitia erat, dicere & non facere) non intrabitis in regnum cœlorũ. Nostra ergo iustitia erit, dicere & facere, quę si non fuerit, non intrabitur in regnum cœlorum. Iam ad intermissam specierum pœnitentiæ tractationem redeundum est.

DE POENITENTIA EXTERIORI.

POstquam de interiori pœnitentia, in qua hominis iustificatio peragitur, & de patribꝰ eius (quæ sunt, cordis cõtritio mentis erga Deum cum fiducia accipiendæ misericordię confessio, & votum internum vitæ in melius commutandæ) dictum est satis: restat vt de exteriori pœnitentia & illius speciebus, quæ sunt, pœnitentia publica & priuata, paucis dicamus.

Quæstio. PRincipio ergo roget aliquis: Si verũ est, peccata in interiori pœnitẽtia remitti ac hominẽ iustificari, quid exteriori pœnitentia est opus? aut quidnam post remissionẽ culpæ & abolitionẽ pœnæ æternæ (quę in interiori pœnitẽ *1.Tim.2* tia Deus operatur) facit sacerdos vel episcopus? Hæc quęstio *Dilutio.* ex superioribꝰ satis explicari potest, sed vt res clarissimè intelligatur, id animo repetẽdũ est quod paulò ante diximus, necesse esse vt remissionem peccatorũ accipias, certò crede- *1.Cor.2.* re tibi remissa esse peccata propter Christũ. Iam quũ hęc cer *Roma.3.* titudo non iudicio sensuũ aut rationis effici in nobis queat, sed fide tantũ: constet autẽ, fidem in paucissimis hominibus, præsertim his qui grauioribus criminibus occupati quãdoque fuerunt, ad eam certitudinem (nisi externis signis iuuetur) peruenire, vt certò credant aut statuant se esse in gratia,

nimirum

animirũ diffidentia ac dubitatione de voluntate Dei, quæ in animis nostris naturaliter hæret cum fide perpetuò luctãte, quod re ipsa vnũquenque in animo suo experiri nõ dubiũ est, idcirco Christ⁹ huic imbecillitati fidei nostræ per exterum sacramentũ subueniendũ ratus, pœnitentiæ sacramentum instituit, Ioan. 20. vt quemadmodũ baptismum, Eucharistiã, & cętera sacramẽta certa & efficacia signa esse voluit, quibus doceamur, vt quod foris in specie visibili geri cerni mus, intus per fidei virtutem in nobis effici certò credamus, sic & pœnitentię sacramentũ nobis relinquendum putauit, quo fidẽ nostrã de remissione peccatorum stabiliret & confirmaret, atque eam ob rem sacerdotibus insignem illam potestatem contulit, remittendorũ scilicet, peccatorum, hoc est potestatẽ signo visibili indicandi & ostẽdendi confitenti ac pœnitenti, peccata per Deũ esse remissa, adeò vt verè cõtritus ac confessus, quũ absolutionis sacerdotalis verba perceperit, nõ secus affectus esse debeat, quàm si ipse Christus ei dixisset, Dimittuntur tibi peccata tua. Suã enim potestatem Christus (quam & visibili signo adhibito, ad certam fidẽ remissionis peccatorũ nobis faciendã confirmasse legitur) sacerdotibus cõcessit, ne quis putet sacerdotẽ sua propria potestate absoluere. siquidem ipse Christus est qui baptizat, ita ipse est qui absoluit, sic vt de virtute vtriusq; sacramenti vnumquenque Christianũ parem atque eandem habere certitudinem oporteat, quemadmodum suo loco latius docebimus. Hęc autem potestas seu absolutio sacramentalis, etsi in vtraque pœnitentia, & priuata & publica, tanquam suauissimum vtriusq; condimentum requiratur, ipsum tamẽ sacramentum pœnitentiæ non est propriè pœnitentia vel publica vel priuata. Constat siquidem, pœnitentiam non ratione absolutionis sacramentalis, in qua tota propemodũ vis sacramenti pœnitentię sita est, sed magis ex modo vel genere satisfactionis publicam vel priuatam appellari. Porò quum Christus & ecclesia vnum sint corpus, proindéque pœnitẽtem nõ tantum pacem erga Deum, sed erga ecclesiã (in qua sola remittuntur ipsa peccata) habere oporteat, ac omnino interfit, vt qui in ecclesia præsident, explorata habeãt pœnitentium conscientiam ac propositum, quæ (vt Christus ait) ex operibus eorũ cognoscuntur: idcirco Christus sacerdotibus præter potestatem remittendi peccata in sacramento,

Penitẽtiæ sacramẽtũ institutũ est, vt sit certũ testimoniũ remissionis peccatorũ

Vide suprà ĩ proœmio de sacramẽtis.

Matth. 9 Marc. 2. Luc. 5.

Aliud est sacramentum pœnitẽtiæ, atque aliud pœnitẽtia publica vel priuata.

Eph. 1. 2 5.

Matth. 7 Ioan. 20. Matt. 15

potestatem etiam fecit ligandi atque soluendi, hoc est cõfi-
tentibus pœnitentiæ satisfactionem dandi, qui tũ ligant, cũ
satisfactionem imponũt, & pœnitentes (donec ea purgẽtur)
à communione prohibent: soluũt verò cũ satisfactionem im
positam vel relaxant, vel ea purgatos, ad sacramentorũ com
munionem admittũt, in quo etiã Christus imbecillitate no-
stræ pientissime consuluit: nam cũ pœnitenti non quælibet
sed digna pœnitentiæ opera (vt peccati reliquiæ eluãtur, &
manentes nos pœnæ, per Dei clementiam dimittantur) pera
genda sint, nemo autẽ in causa sua idoneus iudex videatur
atq; adeò vnusquisque semper propriam censuram suspectã
habeat, idcirco Christus vicarium suũ ostendit, cuius dicto
in hac etiam re staretur, vt Augustinus nõ temerè dixerit, eũ
ecclesiæ claues frustrari, q volet sine arbitrio sacerdotis pœ
nitentiã agere. Hæc autem exterior pœnitentia, in verè cõ-
tritis & confessis remissionem culpę sequitur: neq; enim sa-
cerdos aliis hanc pœnitentiã imponit, nisi quos cõtritos cre
dit. Denique duplex ista potestas per Christũ sacerdotibus
collata, clauis illa ordinis est, de qua suprà abundè diximus.
Clauis iurisdictionis alio respicit: nam nõ propriè ad pœni-
tentiã spectat, nisi vt prouocatoria, quod vt pædagogus, tan-
tisper impœnitentem flagellet, donec pœnitentiæ ianuã in-
gredi faciat & quodammodo compellat.

Q Vibus rectè perceptis, facile est intelligere, quænã sit
pœnitentia publica vel priuata. Publica enim est, quę
publicã habet satisfactionem: Priuata, quæ priuatam. Publi-
cam itetũ duplicem faciunt, solennem & simpliciter publi-
cã. Solennis pœnitẽtia (quę olim propriè publica vocabat)
ea erat, quę ob enorme & vulgatissimum crimẽ (quod mul-
titudinem seu totam vrbem commouisset) extra ecclesiã in
cinere & cicilio publicè peragẽda suscipiebatur. Huius pœ
nitentiæ ritum describit Agathen. Conciliũ cap. 11. In capi
te (inquit) Quadragesimę, omnes pœnitentes qui publicam
suscipiunt aut susceperint pœnitentiã, ante fores ecclesię se
repræsentent episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus,
vultibus in terrã prostratis, reos se esse ipso habitu & vultu
proclamentes: ibi adesse debent Decani, id est Archipresby-
teri parochiarum, presbyteri pœnitentiũ, qui eorum cõuer-
sationem inspicere diligẽter debent, qui & secũdum modũ
culpæ pœnitentiã per præfixos gradus iniungant. Post hæc
episco-

Potestas ligãdi et soluẽdi quæ,
Leo ad Theodor. episcopum foroiuliẽ. epist. 69.
Matth. 3.
Aug. de vist. infir. ca. 4 & 5
Aug. de pœn. dis. 1. c. agite.
Pœnitẽtiæ satisfactio remissionem culpę subsequitur.
Clauis ordinis.
Clauis iurisdictiõis
Publica.
Priuata.
Publica duplex.
Solennis.
Vide Cartha. conci. 3. cap. 23.
Agat. cõcil. c. 11. 5 dist. ca. in capite.
Decani, id est. archipresbyteri
Prebyteri

episcopus eos in ecclesiam introducat, & cum omni clero septem pœnitentiæ psalmos, in terram prostratus, cum lachrymis pro eorũ absolutione decantet. Tunc surgens ab oratione, iuxta quod Canones iubent, eis manus imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat, & cum gemitu & crebris suspiriis denunciet eis, quod sicut Adam proiectus est de paradiso, ita & ipsi pro peccatis ab ecclesia abiiciuntur: post hoc iubeat ministris, vt eos extra ianuas ecclesiæ expellant, clerus verò prosequatur eos cum responsorio: In sudore vultus tui vesceris pane, &c. vt videntes sanctam ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non paruipendant pœnitentiam. In sacra autem domini cœna rursus ab eorum decanis & eorum presbyteris, ecclesiæ liminibus præsententur. Hactenus canon. Hanc solennem pœnitentiã, pœnitentes pro ratione criminũ, interdum breuiorem, interdum longiorem, plures etiam annos duraturam, accipiebant. Iam qui tam longam pœnitentiã plusquam anno duraturam accepissent, interea temporis ab ecclesiæ ingressu toto anno, præterquam à cœna domini vsq; ad octauas Paschæ, abstinebãt. Quatandem peracta, à solo Episcopo (nisi necessitas aut periculum mortis immineret) per manus impositionem, idque ante ἀψίδα reconciliebantur: vt vel hunc radicem casuum Episcopis speciatim reseruatorum, facilè sit intelligere. Talem pœnitentiam cogente Ambrosio, Theodosius suscepit: talem egit Fabiola, quemadmodũ Hieronymus in Epitaphio eius ad Oceanum scribit ac testatur, quem iucundũ erit inspicere, vt intelligas quanta fuerit olim veteris ecclesiæ seueritas, ac etiam pœnitentium feruor ad nostrorum temporũ disciplinam neutiquam conferendus.

pœnitentium.
Septẽ psalmi pœnitentiales.
Gene. 3.
Matt. 18.
Gene. 3.
Die cœnæ pax dabatur pœnitẽtibus, hoc est recõciliabantur ecclesiæ.
Absida.
Ambro.
Theodosius imperator.
Hier. ĩ epitaphio Fabiolæ ad Oceanum.

HOc autem habebat pœnitentia solénis (quam humilimam Augustinus appellat) peculiare, quòd semel in ecclesia dabatur, non temerè reiteranda. Idque (vt idem ille testatur) cautè salubritérque præuisum est, ne frequétius iterata vilesceret, minúsq; vtilis esset medicina vilis ægrotis, quę tanto magis salubris est, quãto minus contemptibilis fuerit. quemobrem (vt Ambrosius inquit) meritò reprehenduntur, qui sæpius agendã pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nã (vt subiicit) si verè agerét pœnitentiã, iterãdam postea nõ putarent: quia sicut vnum baptisma, ita vna pœni-

Augu. in 2. epis. ad Macedonium.
Ibidem.
Amb. li. 2 de pœn. cap. 10.
1. Tim. 4
Ephe. 4.

tentia quæ tantum publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc (nimirũ quotidiana pœnitentia) leuiorum, illa grauiorum. Vides quemadmodum Ambrosius discernat hãc quæ publicè agitur, hoc est solenné, à quotidiana. Quin Origenes videtur etiam hãc solennem, à simpliciter publica, de qua statim diximus, discernere. Qui in Leui. homi. 15. sic ait: Si nos aliqua culpa mortalis inuenerit, quæ non in crimine mortali, nõ in blasphemia fidei (quę muro ecclesiastici & apostolici dogmaticis cincta est) sed vel in sermonibus, vel in morũ vitio cõsistat, huiusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis huiusmodi pœnitudinem gerere. In grauioribus enim criminibus semel tantum, vel rarò pœnitentiæ conceditur locus. Ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur. Verum interim nosse oportet, ecclesiam veterem etsi hãc solennem pœnitentiam in pristinas sordes relapso vel omnino non daret, vel admodum rarò, ipsam tamen nulli ad se, quemlibet sæpè lapso, ac redeunti, gremium suum vnquam penitus seu omnino clausisse. Quin potius constat, quoties pœnitentes & confessi ad ecclesiam matrem reuerterentur, à spe remissionis peccati nunquã deterritos, sed magis ad deprecandam Dei clementiam, (cuius misericordiæ non est finis) diligentissimè commonitos fuisse. Nam hic (vt Augustinus ait) quis audeat dicere Deo: Quare huic homini qui post primam pœnitentiã rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere, erga istos non agi, quod Apostolus ait: Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiã te adducit? Quin Augustinus ipse testis est, quandoque eundẽ pœnitendi locũ dari posse, sed rarò: vbi verò idẽ pœnitendi locus nõ dabatur, non omnino repellebãtur, sed recipiebantur reuertentes, nõ tamen sine disciplinæ seueritate. Nã etsi non daretur eis locus iterũ in ecclesia publicè pœnitendi, tamen eatenus recipiebãtur, vt intra ecclesiam fidelibus iungerẽtur, ac vt sacris mysteriorũ celebritatibus interessent, sed à dñicę mensæ cõuiuio perpetuò segregarẽtur, vt hac districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigarent, & aliis exemplũ tribuerent se ab obscœnis cupiditatibus retrahendi. Eisdem etiã (quòd carnali fragilitate cecidissent) cum ad dominum cœpissent proficisci, per cõmunionis gratiam

Origę. in Leuit. homil. 15.

Ecclesia etsi iterationem solennis non cõcederet, gremiũ tamẽ redeũti nunquã clausit.

Psal. 144

Aug. ad Macedonium.

Roma. 2.

Quomodo recipiebãtur. olim lapsi post solennem pœnitentiam.

Cõmunio

tiam subueniebatur, hoc est in extremis cõstituti, tandem reconciliabantur, vti canones Siricij pontificis cap. 5. & Innocentij primi cap. 2. testantur. Præterea qui semel publicè pœnituissent, non admittebantur ad clerum, quanuis corrícti & boni effecti essent, quòd hæc pœnitentia infamiam quandam ingereret, quum assciscẽdos in clerum maximè ad episcopatum, sacerdotium, & diaconatum, oporteret esse irreprehẽsibiles, etiam quod attinet ad vitam anteactam: tãtum si necessitas aut vsus exegisset, iter Ostiarios aut Lectores deputabãtur. Presbyteris quoque ac diaconibus ne tãtus gradus in ecclesia propter paucorum improbitatẽ vilesceret, hæc publica pœnitentia non imponebatur, nisi prius deponerentur. Sed vt inquit magnus ille Leo in canonibus ad Rusticũ Narbonẽsem. huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetẽda secessio, vt illis si satisfactio fuerit digna, sit etiam fructuosa. Item hæc pœnitentia coniugatis nõ dabatur, nisi ex consensu, quemadmodum Arelaten. cõcilium 2. testatur cano. 21. Denique consulebatur iis, qui non sperarent se hanc pœnitentiam explere posse, vt eandem differrent, ne (vt Ambrosius ait) si semel fuerit vsurpata, nec iure celebrata, nec prioris fructum obtineret, nec vsum posterioris auferret. Huius pœnitẽtię ritus penè totus in ecclesia abolitus est, partim incuria pastorum, partim quòd delinquentes tãtam seueritatem detrectarẽt. Sed quis interim negauerit, institutiones patrum nostrorum ecclesiæ veteris rectas vias nunquam deseruisse, bis felices, si posteros reperissent qui eas alacriter inambulare pergerent?

illis tantũ ĩ extrem. reddebatur.
Siricius c. 5.
Inn. 1. c. 2
Carth. cõcil. 4. c. 68
Tole. 1. c. itẽ placuit
1. Tim. 3.
Tit. 1.
Leo ad Rustic. Narbonẽsem.
Cõcil. Arelat. 2. c. 21. ca. abienũ. 50. dist.
Am lib. 22. de pœ. c. 11.

POenitentia simpliciter publica, at non solennis (quantũ ex Origenis, Ambrosij, Augustini, & cæterorum patrum dictis colligi potest) erat, quæ p delictis, etsi mortalibus, tamen leuioribus, in morum vitio consistentibus, quæ totam nõ commouissent ecclesiam imponebatur. Quinimo omnem pœnitentiam, quæ satisfactionem publicam poposcisset, etsi delictum secreto commissum & confessum esset, secundum hãc pœnitentiæ rationem, quis rectè publicam dixerit. Nam vt ex Origene & historia Tripartita cõstat, presbyter qui erat super pœnitentes, vir tenax secreti (nimirũ pœnitentiũ confessiones secreto audiens) confessos, modo tamen ratio delictorum requireret, etiã hac pœnitentia grauabat, qua etsi ad populũ speciẽ delicti nõ faterentur ipsi pœnitentes, se tamẽ

Pœnitẽtia publicanõ solennis.
Origen. in psal. 37.
Tripar. histo. lib. 9. cap. 35.

peccasse grauiter, ipsa satisfactione publicitus declarabant. Hæc autē nō habebat tantum austeritatis, quantum solennis illa: nec omnino extra ecclesiam fiebat, sed pœnitētes sacris intereant, à communione tantū separati, de qua Sozomenes historię Tripartitæ lib. 19. (quem suprà in tractatu Cōfessionis citauimus) potissimum loquutus esse videtur. Hanc aiūt sæpius iterari solitam. Nec ab hac clericos seu sacerdotes fuisse prohibitos, quemadmodum adhuc videmus sacerdotes ob admissa crimina publica, suspensione à sacris aut interdictione ingressus ecclesiæ, aut pœnam etiam carceris (vt vocant) claustralis mulctari. Cæterum & huius pœnitentiæ publicę vix vllum vestigium in ecclesia reliquum est, nisi quòd synodorum, vt vocant, presbyteralium seu archidiaconalium correctio, in huius locum videtur surrogata. Quāquam & id ex veteri vsu relictum videtur, quòd ante initium Quadragesimę, nempe feria quarta, quam Cinerum vocamus (quadie olim in veteri ecclesia populus per presbyteros conuocari, & pœnitentibus à confessis pœnitentia dari consueuit) adhuc cinere tantum obsignamur: quódque eadem ac aliis quoque Quadragesimæ diebus, ea responsoria ac preces dicimus, quę olim super pœnitentes publicè recitari consueuerunt, & quę eiuscemodi pœnitentibus propriè conueniunt, nimirum vt meminerimus nobis pœnitentiam in cinere & cilicio ad maiorum nostrorum exemplum, merito peragendam esse.

c. presbyter. 28. dis. c. quęsitum. de pœn. & remis.

Vnde ortū & relictū quod in capite ieiunii cinere aspergimur.

HAbemus itaq; in ecclesia ex omnibus pœnitentiæ speciebus, vix eam quæ priuata dicitur, superstitem, quæ hodie adhibetur nō tantum in delictis secretū admissis (quibus peculiariter erat destinata) sed & publicis, quanquam interim & hæc sic passim nunc ministretur, accipiatūrque, vt potius ludus videatur, quàm pœnitentiæ datio. Atque vtinam vel hæc sola in suum legitimum vsum restituatur, & piè in ecclesia geratur: quod tum demum futurum spes est, vbi pœnitentię sacramentum (quod in hac priuata pœnitētia datur) cœperit & per sacerdotes ex Dei ac ecclesiæ præscripto syncerè administrari, & à populo debita cum pietate accipi. Commodum ergo nunc est, vt de pœnitentiæ sacramento breuibus dicamus.

Pœnitentia priuata sola adhuc i vsu, quæ & quibuslibet pœnitētibus in discrimina tum inducitur.

De pœni-